

videtur posse. Neque igitur in spacium, a quo, et non proxime, et in quo essentiam habet. In quam igitur rem aget, si ibi, præter calorem, lumen, et spacium alia est nulla? Necessum igitur fuit, aliud quid; in spacio, et in lumine esse quod caloris actionem suscipere posset, et ab ea aliquid pati. Id autem tale, necesse est esse, ut per spacium fundi possit. Per totum ne spacium, an per eius partem aliquam? Si partem dicamus, quantitas et magnitudo eius partis erit assignanda. Et causa etiam afferenda, cur non per totum fundi queat. Idque necesse sit, vel virium suarum debilitate accidere. Vel obstaculo, vel Conditoris voluntate. At Conditoris summa bonitas, cur per totum fundi nolit? Cum ei maior gloria inde sequatur, quam si per partem dicatur fundi? Spacii quoque obice non impeditur, eius effusio, cum in eo adhuc nil fuerit, quam lumen et calor, nullis obsistendi prædita viribus. Hæc res, si natura sua, fusilis et ipsa sit, ut lumen, ut calor, cur se ipsam dicitur impedire, ne fundatur? Et dum aliud possit nihil, quam fundi, quomodo dicitur, non posse fundi? Fundetur ergo quocumque locorum per spacium, per lumen, per calorem, quousque impediatur. At ab hisce tribus, nullibi impeditur, neque a bonitate Conditoris, neque a se ipsa. Per tota ergo tria illa fusionem faciet. Perque illa tota infinita, fusionem infinitam, nullis terminis, aut propriis, aut alienis terminatam. Sed quid hoc tandem est? Sonat enigmaticum. Sequenti igitur libello erit aperiendum.

*Finis Libri Quinti Pancosmiæ.*

#### ANNOTATIO R. P. M. IACOBI DE LUGO.

*1 Cum dicit in hoc libro, pater non clausit ignem in potentia sua intellectuali, id est in filio, dicimus quod clausit et non clausit. Clausit quidem in filio ignem essentialem et increatum, id est illuminet quem habet in se generando illum: non clausit quia simul cum ipso filio et spiritu sancto, quem vocat mentem, eum effudit et diffudit in creatas res creando illas.*

*2 Nominat profundum paternum compluries hic, et præcedente libro, necnon et in aliis suis scriptis cum inquit ibi, extra paternum profundum, spacium fuisse necessario productum, hic cum ait, ignem procreatorem, et rerum generatorem in suum profundum prius sparsu, et recte, quoniam divinam essentiam, et quicquid habet pater, totum infudit in filio generando ipsum, quare per profundum paternum intelligitur filius in divinis, ideo in Evangelio Luce ipse Christus sibi vindicavit, omnia sibi tradita fuisse a patre. Pater enim generando filium communicavit illi essentiam suam, et dedit illi naturam divinam, et cum natura divina tradidit ei omnipotentiam, et quicquid Dei est, absque aliqua transmigracione.*

*3 Theologi tamen non admittendum cum profundum paternum scilicet filium, necessario fuisse productum spacium in universo, quoniam negant Deum agere de necessitate naturæ. Sed quemadmodum (ut ait Divus Thomas) se habet artifex per suam artem et voluntatem ad artificiatam, ita Deus per scientiam et suam voluntatem se habuit ad creatam. Possumus tamen dicere, Deum produxisse necessario conditionaliter, id est supposita determinatione voluntatis divinæ, necessario agit ad extra. Verbi gratia si intelligamus Deum, esse ignem perficientem, magis deseruit nostro proposito et materiæ de qua tractamus, cum in scripturis consumpti accipiatur etiam pro perfectione iuxta illud Pauli ad Hebræos. Aspicientes in consummatorem Iesum, id est perficientem.*